



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 111. An peregrinus, antequam exeat è suo territorio, teneatur audire
Sacrum in festo speciali sui territorii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

Cap. ex tenore, de Rescriptis) sed conditio loci, ad quem jus habet accedendi, lex enim non obligat, ut quis non exeat è suo territorio, sed tantum obligat, ut existens in territorio eam observet, sicuti non obligat, ut non petam dispensationem, sed ut observem, quamdiu dispensationem non habeo, Et nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, Reg. 55. ff. de Reg. Juris. Intelligunt tamen, per se loquendo, nam si quis è suo territorio, ubi *Trident.* est receptum, ad aliud ubi receptum non est, eo animo iret, ut hic contraheret matrimonium clandestinum, tumque eo contracto in patriam rediret, matrimonium tale esset invalidum, uti dicitur l. 6. tr. 6. c. 3. ad dub. 2. Vide dicenda l. 3. p. 2. d. 1336.

Q. 111. An peregrinus, antequam exeat è suo territorio, teneatur audire Missam in festo speciali sui territorii. R. Affirmant 18. Auctores apud *Pasq.* de Sacrif. q. 1296. E contra *Busenb.* & alii 11. apud eundem *Pasq.* absolutè negant: Alii sic distinguunt, 1. Si antequam exeat, nullum fiat Sacrum in proprio territorio, non tenetur expectare, sed potest exire & non audire Sacrum: 2. Si, antequam exeat, fiat Sacrum tantum unum, tenebitur hoc audire, quia eo die in isto loco obligatur ad Sacrum, ergo cum præter hoc nullum aliud futurum sit, ad hoc obligatur. 3. Si, antequam exeat, fiat Sacrum, & postea etiam aliud fiat, postquam exiverit, non tenebitur audire, quia si mansisset, potuisset illud ultimum Sacrum expectare, ergo cum ante tempus illius sit deobligandus, eò quòd futurus sit in alio territorio, in quo non est obligatio, etiam non tenebitur prævenire, sicuti si sim hora 8. in meo territorio, & prævideam me horâ 11. per dispensationem deobligandum, non teneor prævenire, ita *Sanch. Less. Salas, Castrop. Bonac. Henriq. Prapof. Amic. Reiffenst. Delbene, Moya r.* 6. d.

6. d. 5. q. 1. n. 19. *Illf.* n. 62. aliique multi; *Gob.* 1. 5. n. 61. putat utrumque probabile. Videri possunt *vind. Gob.* p. 2. prop. 6.

685

DUBIUM III.

An Peregrini, & Vagi teneantur præceptis locorum in quibus morantur.

R Esp. Regulariter non tenentur præceptis specialibus illorum locorum. Ita *Lay Sanch. Azor, Kõning, Less. Reginal. Fill* contra *Navar. Suar. Sa, &c.* (& quoad vagos, etiam contra *Bon. & Sanch.*) Ratio est, quia non potest dari ulla ratio hujus obligationis, cum illi non sint subditi vel locis, vel Superioribus, quorum tales leges fuerunt, ideoque extra eorum jurisdictionem: Nec obstat, I. eos nullis partialium locorum statutis, sed solo jure communi teneri: quia id non est absurdum. Nec 2. quod vagi ob delicta admitta, puniri possint, hoc enim consuetudo recepit, ne scelera maneant impunita.

Dixi I., *regulariter*: quia tenentur quibusdam legibus, maximè quarum violatio cederet in damnum & injuriam illius loci, in quo morantur: ut etiam iis, quæ sunt de contractibus celebrandis.

Vnde resolves hos Casus,

I. Tales non tenentur audire Missam, & possunt opera servilia exercere die istic festo; non tenentur jejunare, nec abstinere à carnibus, quando istic est jejunium, & domi suæ non est. Intellige utrumque secluso scandalo, propter quod Episcopus loci punire posset. *Lay. l. 1. t. 4. c. 12. n. 4.*

II. Peregrinis non licet frumenta evehere, vel vendere, supra pretium ibi statutum, noctu arma ferre.